

longe, priusquam Caeremoniale Ep. ederetur, inducti, tolerantur potius, quam rite probentur, servari utique permittuntur, quia ritus substantiam non laedunt sed transferri nequeunt ad Ecclesias, quae Ritum Romanum sequuntur, sacrasque actiones juxta Caeremoniale Ep. perficere debent. Confundi ergo videtur in dubio tacita tolerantia cum expressa concessione.

Si quis plura scire velit de rituum varietate, qui in nonnullis Ecclesiis nocte Nativitatis Domini quoad Laudes antiquitus obtinuerunt et modo (nisi forte aliquod in una alterave vestigium supersit) oblitterati sunt: adire poterit laudalium Martene loco supra cit. n. XXX. et Catalanum in Commentariis ad Caeremoniale Ep. lib. 2 cap. 14 §. 12 n. 2. Mei quippe instituti ratio non patitur, ut in iis recensendis diutius immorer.

In S. R. Ordinariis Comitibus quum a subscripto Secretario relectae fuerint preces Capitularium Cathedralis Atrien. ob aeris praesertim in hyeme inclementiam ac valetudinis quamplurimum incommoda requirentium apost. dispensationem in nocte Nativ. D. iterum in aurora ad Ecclesiam ipsam accedendi pro persolvenda cum cantu Hora Primae et celebranda 2. missa, quae sine Capituli interventu privatim a parochio celebrari queat; RR. et EE. PP. S. R. C., quin petitam dispensationem concederent, extendere potius censuerunt Indultum Cathedr. Pinnen. concessum die 12. Mart. 1836 nimirum, in nocte Nativ. D. persolvendi absque cantu Laudes post primam missam ac celebrandi 2. missam prima vel secunda hora post ortum Solis. Atque ita a Clero Cathedr. Atrien. in posterum servandum esse. n. 4829 die 19. Maii 1838.

Gerunden.

Rmus Episcopus Gerunden. in relatione status suae Ecclesiae ad Sacram

Congregationem Concilii transmissa sequens proposuit Postulatum. Usque ab Anno 1308 in hac Ecclesia Cathedrali Matutinum Nativit. Domini Nostri Jesu Christi Vespere prima Vigilia Noctis decantatur et circa auroram dicitur prima Missa, quae juxta Ecclesiae ritum videtur mihi continuo post Matutinum debere celebrari. Eapropter precor VV. EE., ut indicetis mihi, quid circa hanc praxim decernendum? In Congregatione Sacrorum Rituum ordinaria responsum fuit: „Serventur Rubricae Missalis et Matutinum cum prima Missa et Laudibus dicatur summo mane, si adsit impedimentum canendi prope mediam noctem.“ Die 3. Aprilis 1830 n. 4656

NOTA GARDELLINI AD HOC DECRETUM:

Rubrica Breviarii tum particularis hujus diei, tum generalis, hanc divisionem primae Missae a Matutino et Laudibus in nocte Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi non admittit, quemadmodum et Laudum a dicta Missa separationem excludunt et cum haec Rubrica sit particularis hujus noctis (quae quidem, ut videbimus, sua non caret ratione) et ordinata sit pro Choro, in hoc servari debet quicquid praescribitur et ordo prorsus non est invertendus, nec pro libitu prima Missa a Matutino et a Missa Laudes dividit debent. En verba Rubricae particularis: Et dicto Benedicamus Domino, celebratur prima Missa post mediam noctem, qua finita, dicuntur Laudes: Rubrica autem generalis Tit. XXX. de hymno Te Deum, n. 4: Similiter quando dicitur Te Deum, eo hymno dicto, statim inchoantur Laudes, praeterquam in nocte Nativitatis Domini, quia tunc dicitur Oratio, postea celebratur Missa. Habemus itaque clarissime praescriptum ordinem et unionem Missae cum Matutino et Laudum cum Missa. Dixi

ordinem hunc a Rubrica pro Choro praescribi; in privata enim recitatione nulla est obligatio sejungendi Laudes a Matutino, ut omnes ferunt Auctores. Item Caeremoniale Episcoporum eundem omnino ordinem indigitat lib. 2 cap. 24 §. 9. Super allatis Rubricae verbis seu praescripto inquit Tetamus: Post Matutinum dicitur Missa in Choro; et Gavantus in Rubrica Breviarii Sect. 6 cap. 5 n. 5: Laudes sequuntur Missam primam de aeterna Generatione: Et n. 6, ubi Francolinii sententiam negativam profert de cantanda Missa ante canonicam horam Primae, secundo loco haec habet: Neque dicas sufficere Laudes ante Missam secundam, tum quia non debent dividi a Nocturnis, nisi quantum Missa prima occupat temporis, quod intercedit, cum sint unica hora: sive itaque sequamur Rubricam particularem Breviarii sive generalem attendamus sive Episcoporum Caeremoniale inspiciamus, is ordo ab omnibus Rubricis praescribitur, ut novum omnino sit et contra Rubricas et contra vetustissimam Ecclesiae consuetudinem et universalem disciplinam, Missam primam a Nocturnis dividere et Laudes ante Missam canere, quae uniri semper debet et eo ordine, qui a Rubrica praecipitur, sive media nocte sive summo mane, aliqua accedente justa causa, Officium Nativitatis peragatur.

Juvat hic aliquid animadvertere et generalem proferre regulam, quod Matutini et Laudum recitationem (loquor de Officio in Choro persolvendo) ut inde rationem investigemus peculiaris hujus diei Rubricae. Certum est Laudes a Nocturnis ex generali regula dividi non debere et Laudes ab Amalario Matutinale Officium appellantur, ac ideo sic vocari, quia sunt pars Officii Matutini et idcirco etiam non terminatur separatim a Laudibus. Ex hoc ipso, quod juxta Romanum Ritum Matutinae

Laudes recitantur conjunctae cum Nocturnis, factum est, ut Matutini nomen aequivocum quandoque fuerit et quid diversum juxta Auctores varios non semel hac voce intelligatur. Aliquando acceptum est pro solis Nocturnis separatis a Laudibus, aliquando pro aggregato ex Nocturnis cum Laudibus usurpatum est, quatenus una eademque sit Officii pars et diversas non constituent partes, aliquando denique pro solis Laudibus. Benedictus XIV. Institut. XXIV. n. 9. Amalarium sequens unionem Matutini cum Laudibus indicat: Nobis satis est tempus indicare, quo juxta Canonum Sanctiones Matutinum una cum Laudibus persoleantur; quae sane conjunguntur, cum Amalarius tradat, se a Magistris Romanis responsum habuisse nullum inter Matutinum et Laudes tempus intercedere: ex hac doctrina et auctoritate et ex Rubrica patet certissimum Laudes a Nocturnis numquam seungi. Seungi tamen debent, ut vidimus, in Officio Nativitatis Domini. Quatenus, quaeso, particularis hujus Rubricae erit ratio? Si Benedictum XIV. audiamus, memorata Institutione hanc rationem affert: In pervigilio Nativitatis Domini Matutinum a Laudibus sejungitur, ante quas Sacrum peragitur. Cum enim circa mediam noctem Missae Sacrificium celebrari debeat, nimis absone Laudes eo tempore canerentur. Quodam est illud tempus? Illud nempe, quod paulo ante eadem Institutione eodemque numero Amalario adhaerens indicaverat, scilicet, ab initio crepusculi ad ortum solis. Est ergo haec ratio ab hora desumpta simul et ab unionem Laudum cum Missa, cui cum Laudes conjungi debeat, Missae vero Sacrificium circa mediam noctem debeat celebrari, ut utrumque servetur et unio scilicet Laudum cum Missa et tempus minus Laudibus inconueniens, hae post Missam potius, eas a Nocturnis

*inchoanda. Cur autem excluditur? Quia nempe, absolutis Nocturnis, non terminatur Hora et hinc Decretum, quo hujus versiculi recitationis Defensores (si qui sunt, paucissimi autem sunt et fortasse unus vel alter) innituntur Officio hujus noctis nequit aptari, quo peculiarem et propriam sibi vindicat Rubricam, quae clara satis est ad excludendum hunc versiculum. Hinc est, quod Tetamus cap. 25. ad diem 25. Decb. Sect. III. scribit: *Ubi post Matutinum dicitur Missa in Choro, dicto Benedicamus Domino, non addatur versus Fidelium Animae: hinc quod Gavantus scribit Section. V. cap. XXII. n. 4.: Qui versus non dicitur ante Pretiosa ad Primam, quia adhuc non terminatur Officium ... neque dicitur post aliam Horam, si aliud sequatur, ut vel Missa, sicuti fit in nocte Nativitatis Domini.* Quid plura? Omittitur quandoque hic versus, quando etiam quaedam Officii Hora est absoluta. Hinc apposite idem Gavantus eodem n. 4. addit: *neque ad Completorium habet in fine locum congruum. Non enim ante Antiphonam B. Virginis, quae ad Officium vivorum attinet, neque post eam, quam sequitur Oratio Dominica cum Salutatione Angelica.* Sic autem explicat: *vel Officium parvum B. Mariae, septem Psalmi, Litaniae, in quarum fine dicitur Fidelium etc.* Quod hic dicit Gavantus, Rubricae generali apprime consonat, cujus sequens est dispositio Tit. XXX. de Oratione n. 3.: *Postea dicitur (nempe post Orationem) Benedicamus Domino, deinde dicitur versus: Fidelium animae etc. qui versus non dicitur post Benedicamus Domino, ad Primam ... nec quando post aliquam Horam immediate sequitur Officium parvum B. Mariae vel Officium Defunctorum, aut septem Psalmi Poenitentiales vel solae Litaniae etc.* Jam si omittendus est hic versus, quando quaedam Divini*

Officii Hora penitus est absoluta et sequitur Officium ab illo quod celebratur diversum, quaecumque sit hujus omissionis ratio, quae quidem a Gavanto adducitur (quae tametsi prodest potius, quam officiat in casu nostro), cur erit dicendus in nocte Nativitatis cum absoluto Matutino absoluta nequit credi Hora, cum integram horam Matutinum cum Laudibus constituat, cum Missa sequi debeat immediate Nocturnos ob intrinsicam rationem noctis et diei et Festivitatis propriam, quae peculiarem ritum exposcit nulli alteri Festivitati communem? Quod si quis reponeret peculiarem esse rationem omissionis in casibus a Rubrica notatis, peculiarem aequae rationem agnoscat in Officio Nativitatis, quae peculiarem Rubricam habet, qualis ea est, per quam interposita prima Missa Laudes a Nocturnis dividuntur; et sicuti hoc Officium ritum a generali regula diversum habet ex ipsa Rubricae dispositione et praecepto, sic et in fine Nocturnorum hujus noctis excludi debet memoratus versiculus, nec sub adducto Decreto debet comprehendi.

Concedi posse fratr. Ord. Minor. Conv. Venetiis commorantibus in sua Ecclesia tamen in nocte Nativitatis Dom. inchoare Matut. ad populi commoditatem post pulsatam primam horam, eoque solemniter et cum debitis caeremoniis decantato, statim missam celebrare, etiamsi debitam horam praeveniant. n. 69 die 14. Decb. 1593.

Ad dubium 1.: An servari debeat immemorabilis consuetudo legendi Laudes in Nocte Nativitatis D. N. J. C., vel an eadem sint decantandae?

2. Et quatenus negative, Archiepiscopus, Capituli Pisani nomine, humillime supplicat, ut huic indulgeatur facultas Laudes sine cantu legendi post Missam solemnem in illa Nocte, aequae ac haec eadem facultas die 31. Martii

1821 indulta est Canonicis Sulmonensibus.

S. C. resp.: *Ad 1.: Negative.*

Ad 2.: „Attentis peculiaribus circumstantiis in casu, de quo agitur, consulendum Sanctissimo pro Apostolica dispensatione recitandi Laudes sine cantu post Missam solemnem, Canonicis tamen aliisque de more aequae ac in aliis diebus obstrictis ad interveniendum, ut lucrentur Matutini distributionem.“ n. 4672 die 12. Nov. 1831.

NOTA GARDELLINI AD HOC DECRETUM:

Caeremoniale Episcoporum in universali Ecclesia ab omnibus et singulis personis ad quas spectat observandum esse praecipitur a fel. rec. Clemente Papa VIII. in Literis Apostolicis sub plumbo, quae incipiunt: *Cum novissime etc.* in quibus statuit, *Caeremoniale hujusmodi sic emendatum et reformatum nullo umquam tempore in toto vel in parte mutari, vel ei aliquid addi, aut omnino detrahi posse, ac quascumque personas praedictas ... ad ea peragenda et praestanda juxta hujus Caeremonialis formam et praescriptum teneri.* Item Innocentius X. Bulla: *Et si alias*, ipsum Caeremoniale adprobando et confirmando eadem statuit ac praecipit. Et haec quidem Benedictus XIII. Bulla, cujus initium est: *Licet alias*, pariter habet; additum autem in ea est, ut in virtute sanctae obedientiae nihil detrahatur, nihil addatur, immutetur nihil, quemadmodum et in Bullis Praedecessorum suorum legitur. Summi itaque Pontifices toti in eo sunt, ut quae in Caeremoniali (idem dicatur de Pontificali, Missali et Rituali) sunt constituta accuratissime serventur, ut Sacri Ritus et Caeremoniae juxta Ecclesiae disciplinam et statuta peragantur nec aut quadam aliquorum libertate, aut aliorum negligentia aut aliquorum

non recta interpretatione ex propria cujusque commoditate non semel orta, novitatibus inductis Ritus ipsi et caeremoniae Ecclesiae corrumpantur et per mutationes ipsas et novitates, externus cultus sancto studio, sancta sollicitudine, tam diligenti cura et labore ad Religionis ipsius majestatem statuti penitus cum ipsius Religionis detrimento vilescant. His positus quidquid diverso modo, quo statutum est, peragitur, contra Caeremoniale peragitur et nulla umquam consuetudo (si eas excipias quae ut legitime et conditionibus necessariis inductae ab Ecclesia ipsa sunt adprobatae), contra illius legem potest praescribere, nullam potest constituere exceptionem, nullam normam aut regulam efficere, nec approbari umquam poterit, quin immo non summopere reprehendi. Aut enim consuetudo, quae profertur in medium, quamque nescio quis velit in casu protueri, est ante Caeremonialis correctionem, confirmationem et adprobationem Summorum Pontificum, qui illud correxerunt, confirmarunt, adprobarunt, aut postea: si ante, jam consuetudines istae, si peculiari modo non sint adprobatae (neque enim adprobari potest quod directe Caeremonialis praescriptis adversatur), per genericam abrogationem, abrogatae censendae sunt: si postea inductae sunt, jam eo ipso contra Caeremonialis statuta ejusque leges sunt inductae et inobedientiam Ecclesiae legibus redolent et novitatis notam merentur, propriaeque commoditatis amorem praesecerunt, ideoque reprobandae sunt ac rejiciendae, utpote Caeremoniali adversae, quemadmodum haec est consuetudo in nocte Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi Laudes legendi: nimis enim haec consuetudo contraria est Caeremonialis praescripto, nam satis superque clare Caeremoniale praescribit ut Laudes cantentur: *In Laudibus*

(legitur lib. 2. cap. 14. §. 12.) *tandem, quae post hanc Missam solemniter cantari debent*: quae verba, ut quisque facili negotio videt, praeceptum important adeoque consuetudinem omnem contrariam excludunt. Quod si praeceptum juxta Rubricam non est, ubi nam, quaeso, Rubrica praeceptum exhibebit, aut quando Rubricae servari poterint? Idem dicas de omnibus consuetudinibus, quae si sint hujusmodi, neque umquam poterunt praescribere, ac nullo umquam tempore erunt admittendae.

Ad dubium: In Matut. ss. noctis Nativitatis D. an debeant praecintonari antiphonae?

S. C. resp.: Affirmative.

Die 7. Sept. 1861.

9) Praefatio infra octav. Nativ. Dom.

Vd.: *Praefatio*.

10) Vigilia.

Ad dubium: Vigilia Nativit. Dom. occurrente in Dominica, de quo dicendae sunt vesperae pridiana, cum sequenti die nihil fiat de dominica; si etiam nullum festum dupl. vel semidupl. ex Dioecesano praecedat, sed tantum Officium quatuor temporum?

S. C. resp.: Vesperae fiunt de Sabb. et a cap. de dom. IV. Adventus. n. 3664 ad 8 die 22. Sept. 1703.

In vigiliis Nativitatis Domini dicendum est in missa *Credo*, dum incidunt in Dominicam. n. 4526 ad 30 die 7. Sept. 1816.

NATIVITAS B. V. M.

Vd.: *Exaltatio s. crucis* (decr. n. 4444); *Festum ss. Nom. B. V. M.*

NATIVITAS S. JOANN. B.

Vd.: *Octava Corp. Chr.* (Officia infra octavam Corp. Chr.); *Octava (dies octava) Corp. Chr.* (decr. n. 4487.).

Festum Nativitatis s. Joann. B. celebrari debere die 24. Junii, nec posse anticipari et Episcopus (Dioeces. Nepe-sinae) incumbat pro executione. n. 3913 die 10. Sept. 1718.

NAVICULA.

1) Assistens porrig. Episcopo.

Vd.: *Assistens*; *Thurifer.*; *Incensum*.

Episcopus (*ante accessum e sacello ad altare majus*) ministrante Presbytero assist. naviculam imponit et benedicit thus. *Caer. Ep.* l. II. c. VIII. n. 23.

Interim (dum Diaconus dicit *Mundacor*) accedit Acolythus ad Episcopum cum thuribulo et navicula et ministrante illam Presbytero ass. Episcopus imponit ... incensum. *Ibid.* n. 43.

Episcopus (*finita missa in Coena D. ante process.*) ad sedem imponit incensum in duo thuribula ministrante (naviculam) Presbytero assistente ut alias. *Caer. Ep.* l. II. c. XXIII. n. 11.

Cum solita benedictione Episcopus aspergit palmas et thurificat ministrante presbytero assistente. — Finita Benedictione (palmarum) Episcopus ponit thus in thuribulum, ministrantibus presbytero ass. et Acolytho. *Ibid.* c. XXI. n. 5, 8.

Episcopus (*in Parasc. ad altare SSmi*) imponit incensum ministrante presbytero assist. *Ibid.* c. XXV. n. 31; c. XXVI. n. 14. Deposito velo (ad altare majus) Episcopus imponit thus ministrante presbytero ass. *Ibid.* n. 32. Episcopus imp. (ad Offer. missae praes. in Parasc.) incensum ministrante Presbytero ass. *Ibid.* c. XXV. n. 33; c. XXVI. n. 17.

Finita benedictione candelarum Episcopus ministrante naviculam Presbytero assist. parato imponit incensum. *Ibid.* l. II. c. XVI. n. 8.

Finita *distributione candelarum* et cantata oratione Episcopus imponit incensum ministrantibus Presbytero assistente et Acolytho. *Ibid.* n. 14.

Finita missa *in festo Corp. Chr.* Episcopus ad sedem imponit thus ministrante Presbytero assistente naviculam. *Ibid.* l. II. c. XXXIII. n. 19.

Deposito velo (finita process.) Episcopus imponit thus ... Presbytero ass. ministrante naviculam. *Ibid.* n. 26.

Episcopus benedicit ignem et imponit thus in thuribulum ministrante Presbytero ass. *Ibid.* c. XXVII. n. 3.

2) Diacon. missae porrigit.

Vd.: *Diaconus*; *Incensum*; *Oscul.* (Modus etc.).

Finita confessione (et osculato libro Evang.) porrigit Diaconus Episcopo naviculam, qui imponit et benedicit thus. *Caer. Ep.* l. II. c. VIII. n. 34.

Ministrante Diacono naviculam imponit Episcopus thus (ad Offer.) *Ibid.* n. 64.

Si Episcopus celebrans est apud altare, Diaconus Evangelii accipit de manu Acolythi naviculam semiapertam et cochlear in ea existens, cum osculo cochlearis et manus Episcopi et offert eam Episcopo dicens: *Benedicite, Pater Reverendiss.* *Ibid.* l. I. c. XXIII. n. 1.

SS. NEREUS ET ACHILLEUS.

(Festum transl.)

Ad dubium: an, quando extra tempus pasch. transfertur festum ss. mm. Nerei et Achillei, dicenda sit missa ut in festo ss. Marci et Marcellini vel ss. Joannis et Pauli vel saltem Graduale et *ŷ.*: *Haec est vera etc.?* S. C. resp.: Affirmative et desumantur Epistola et Graduale, ut in festo ss. Gervasii et Prot. et cum *ŷ.*: *Haec est*

vera Fraternalitas etc. n. 3754 ad 7 die 25. Sept. 1706. *In una Urbis.*

S. NICOLAUS DE TOLLENTINO.

De Imagine vd.: *Imago* (expositio; decr. Urbani VIII. de die 23. Jun. 1638.)

Sixtus PP. V.

Hac praesenti nostra constitutione mandamus, ut S. Nicolai C. de Tol. dies festus quarto Idus Septb. agatur, duplicique posthac et proprio, et ubi propria non erunt, de comm. c. non p. officio per cunctas totius christianae Orbis ecclesias singulis annis perpetuis futuris temporibus celebretur et in Calend. rom. cum duplicis festi adjectione inscribatur. Sicubi vero festus s. Nicolai dies ex fidelium devotione seu consuetudine praepcepto aut indulto ap. majori aliqua celebrari consueverit observantia, ea omnino ibidem retineatur.

Romae die 23. Decb. 1585.

(Bull. r. t. II. p. 552.)

De ejus Canonisatione et fixatione festi in diem 10. Septbr. vd.: *Constitutio Eugenii IV. die 1. Febr. 1447* in Bull. rom. t. I. p. 353.

S. NICOMEDIS.

(Festum transl.)

Burgi S. Domnini.

Quum Rmus Episc. Burgi S. Domnini a S. R. C. humillime Indultum rogarit, cujus vigore a suo Clero Saeculari et Regulari Dioecesano Calendario utente Officium Translationis S. Nicomedis Mart. Calendis Julii recitari queat, Emi et Rmi P. Sacris tuendis Ritibus praepositi ad Quirinale subsignata die coadunati in Ordinariis Comitibus rescribendum censuerunt: Officium Translationis conceditur in loco,

dividendo, recitantur, quam immediate post Nocturnos, ut generalis regula exposceret. Haec est ratio a Benedicto XIV. adducta. Jam quis tam sapienti tam erudito Pontifici audeat contradicere, quin temeritatis notam apud omnes incurrat? Ratio quidem haec est, sed non sola. Haec enim ex convenientia potius horae, qua Laudes, juxta morem, recitari debent et ex praeepto simul eas a Missa non dividendi, quam ab intrinseco desumpta est. Alia tamen est ratio, si quid video, ex ipso intrinseco mysterio, quod recolitur, deprompta et Officii hujus diei propria, quam affert Durandus in suo Rationali Divini Officii lib. 6 cap. 13 n. 16 quam et hic afferre haud dubitem: *Generatio Divinitatis, scribit ipse, praecessit generationem humanitatis et quia illarum notitia fuit nobis laudis materia, ideo Laudes sequuntur. Missa praecedat, quia prius fuit aeterna generatio, de qua Missa ista loquitur, quam aliqua creatura fuerit, quae Deum laudare potuerit. In Laudibus quasi choream ducimus: quem vidistis Pastores? Et ipsi responderunt; Natum vidimus etc. Haec Durandus.*

Jam totum Officium Divinum nihil aliud per sese est, nisi quoddam Divinarum Laudum genus, quae sive psalmis, sive hymnis, sive canticis, sive aliis hujusmodi ab Ecclesia statutis, in Dei laudem et honorem canuntur. Tamen haec Officii pars, quae *Laudes* specialiter nominatur, ideo hoc donatur nomine, quia speciali quodam modo laudes Deo concinuntur. In his enim ad jubilandum Deo, ad Ei benedicendum, ad Eum laudandum Fideles excitantur. Hoc posito, si ex Durando Missa hujus noctis *est nobis laudis materia*, quia sane in prima Missa Nativitatis Christi ad salutem et redemptionem humani generis speciali modo Fidelibus per Evangelium annuntiatur, quae jam per Angelos vigilantibus super gregem suum

Pastoribus annunciata fuit et gaudium magnum nunciatum pariter fuit, quod omni Populo erat futurum ob Salvatoris nativitatem; quid aequius, quid rationabilius quam et in recolendo quotannis hoc mysterio speciali hoc Deum laudandi genus, *sive Laudes*, post Missam reservetur et Missae immediate jungatur? Cum specialis hac nocte ratio reperitur eas a Nocturnis dividendi et Missae immediate conjungendi?

Unum postremo hic addere non alienum a proposito erit, quo confirmatur et seunctio Laudum a Matutino, Missa interposita et Laudum cum Missa immediata conjunctio. Antiquitus non modo separatae erant Laudes hujus Officii a Nocturnis, sed Missa prima, quae media nocte celebrari solebat, complebatur cum *Benedicamus Domino*, non autem cum *Ite Missa est*, quae verba juxta communioem Liturgicorum sententiam nihil aliud nisi dimissio Populi est. Testatur hoc Micrologus, qui hanc adducit veteris hujus ritus rationem his verbis: *Ne Populo quasi licentiam abeundi infra Matutinales Laudes dedisse videamur, quas statim post Missam iterum concrepantibus signis incipere solemus*: Jam si antiquitus, ut Populus post Missam Laudibus adesset, omitebantur hac nocte verba, quae illius dimissionem sive ab Ecclesia discessum indicabant, quo majori argumento utemur ad probandum ex antiquitate ipsa hanc Laudum cum Missa conjunctionem, quae adhuc ab Ecclesia servatur, suam habere originem, ac proinde male prorsus se gessisse, qui contrarium servavit? Demum aliquibus in Ecclesiis alius hac nocte servabatur peculiaris ritus et ideo servabatur, ut Populus in Ecclesia retineretur. Ritus autem erat, ut inciperentur Laudes statim post Communionem et complebantur post Orationem, quae dicitur in fine Missae, eo sane modo,

quo Vesperae una cum Missa in Sabato Sancto decantari solent, in quibus una eademque oratio et Missae est et Vesperarum. Jam si antiquitus, ut Populus post Missam Laudibus adesset, verba apposite omitebantur, quibus illius dimissio sive ab Ecclesia discessus indicebatur, ne Populus discederet, Laudes post Communionem inchoabantur et complebantur cum Missa, quoniam majori argumento utemur ad demonstrandam Laudum cum Missa in hac nocte conjunctionem, quae servatur ab Ecclesia, non solum jure adhuc servari, sed ex ipsa antiquitate suam habuisse originem, ac proinde male esse penitus gessisse, qui, ut ex Dubio patet, a speciali hoc Ecclesiae ritu discessit.

Aliud quoque hic breviter investigandum occurrit, quod non inutile fortasse erit.

Quidam sunt, sed pauci sane, qui autumant Matutinum hujus noctis dicto post Orationem *Benedicamus Domino* concludendum esse cum versiculo: *Fidelium animae etc.* Innituntur fortasse hi Decreto S. R. Congregationis in Thelesina sub die 14. Aprilis 1742 dato, quod sic enunciatur est: *Non est omittendus in fine cujusvis Horae, Fidelium animae, quando post eam immediate dicitur Missa, sed servandus adamussim textus Rubricae XXX. Breviarii Romani*; versiculum hunc addendum statuit Ecclesia, cujus pietas erga Defunctos ea est, ut peracto Divino Officio aut illius partibus ad utilitatem vivorum suffragetur statim et Defunctis, qui degunt in Purgatorio. Hic est finis Ecclesiae, quae etiam praecipit per Rubricas, ut quibusvis Horis Canonice addatur. Jam videamus, si locum habeat hac nocte in fine Matutini. Ex Decreto et intentione Ecclesiae dicendus est hic versiculus in fine Horae cujusvis. Si itaque Hora non terminatur, versiculus hic non

est addendus, ac proinde fallitur, qui illum in casu omittentes erroris et culpa arguit. Laudes numquam a Nocturnis separantur et unam eademque horam simul junctae constituunt: hinc si hac nocte ex specialis Rubricae Statuto Nocturni a Laudibus dividuntur, non sequitur diversas, per hanc peculiarem hujus noctis Rubricae dispositionem et a se separatas Horas ex Nocturnis et Laudibus constitui, proindeque, absoluto Matutino, Hora revera non terminatur: hinc profecto est, quod in nullo liturgico Sacro Codice, sive in Missali sive in Breviario sive in Caeremoniali Episcoporum hujus versiculi mentio invenitur *et taxative* ab his tempus determinatur, quo Missa post Nocturnos debeat inchoari, sive qua prece, quo versiculo absoluto. Quod spectat ad particularem Breviarii Rubricam hujus diei, legitur: Et dicto *Benedicamus Domino, celebratur prima Missa post mediam noctem*; quod vero pertinet ad Rubricam generalem ejusdem Breviarii sic in ea legitur Tit. XXXI. de Hymno *Te Deum* n. 11.: *Similiter quando dicitur Te Deum, eo hymno dicto, statim inchoantur Laudes, praeterquam in nocte Nativitatis Domini, quia tunc dicitur Oratio, postea celebratur Missa.* Demum Caeremoniale Episcoporum lib. 2. cap. 14. §. 9.: *Iterum responso Dominus vobiscum, dum Chorus cum Organo prosequitur lente Benedicamus Domino et Deo gratias, ipse (Episcopus) deposito Pluviali ... demum accedit ad infimum gradum Altaris pro Missa inchoanda*: Ubinam, quaeso mentio fit de hoc versiculo *Fidelium Animae etc.* quo terminari debeat Matutinum, aut potius, ubi, tacite saltem, non excluditur? Excluditur quidem, statim ac taxative dicitur: *dicto Benedicamus Domino celebratur prima Missa: Prosequitur lente Benedicamus Domino et Deo gratias ... accedit ... pro Missa*